

† Fr. I. Isidorus (Augustinus Hahn) 1907-1949

(Prov. Germ. Inf.)

Huic Fratri laico 42 annorum saltem brevem notitiam mortuariam hic dicare liceat, tum quia erat sodalis Instituti vere bonus; tum quia eius finis tragicus nobis viventibus denuo tanta eloquentia in memoriam revocat Domini monitum: *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis Filius hominis veniet* (Lc. 12, 40).

Die 26 ultimi Octobris Fr. Isidorus, Bonnae certam portam ferream aperturus in muro externo ad servitium praestandum cuidam amico, vix

¹ Cfr. *C. SS. R. Chronicale*, vol. 3, n. 5, p. 20.

sese inclinaverat, ut inferiorem pessulum removeret, cum ecce vehementissimus ventus tanta vi repagulum medium ei impegit, ut ferrum statim in eius cerebrum intraret ac subitanam mortem produceret. Solummodo sub conditione R. P. Elo, Praefectus novae scholae Fratrum laicorum, qui illico accurrerat, extremam unctionem ei administrare potuit. Verumtamen optimo iure sperare possumus bonum Fr. Isidorum ipsum animae suae aperuisse portam ad « locum refrigerii, lucis et pacis ». Corpus mortuum in vigilia festi Christi Regis tumulatum est in nostro coemeterio Geistingensi; ad quod funus etiam fere omnes familiae « profugorum », quae in nostro magno collegio Bonnensi refugium invenerunt, sua sponte iter 15 km. fecerunt, ut dilecto Fratri ultimos honores tribuerent.

Quodsi exteris Fr. Isidorus carus erat, multo magis confratribus, utpote semper paratus ad quodvis servitium aut officium praestandum. Cum esset corpore robusto, agrorum cultura ei commissa erat. Eius assiduitas in laborando et animi bonitas in serviendo aliis nutriebantur solido spiritu orationis, et ita, ad exemplum S. Gerardi, illud *ora et labora* semper in praxim deducere studuit.

Cunabula eius stetero in illa regione, ubi ultimum magnum bellum incepit; natus enim est in Uhlkau prope Danzig 16 Sept. 1907. Pertinebat itaque ad pristinam Vice-Provinciam Vratislaviensem, licet vota emisisset in Geistingen 16 Oct. 1932. Inde ex a. 1940 ingentes adversitates belli ac subsequenter captivitatis forti animo in Gallia et Russia per tulit et, ubi potuit, statim in dilectam domum religiosam reversus est. Sed ex quo tempore hostes suam patriam invasere, nullam amplius notitiam recepit de dilecta sua matre. Fortasse mater et filius nunc iam in aeternum uniuntur in Dei visione beatifica.